Quero asinum meum, quem mihi raptores et subditi
vestri rapuerunt. Et illi statim cum eum mercimo-
niis reddiderunt, et sic pius princeps cum asino suo
et mercimoniis repatriavit. ⌈Eodem anno Lodewicus Cr. Th. ampl.
lantgravius cum dispensacione pape dedit sororem
suam, scilicet Agnetam, filio ducis Austrie, et filia
ducis Austrie data est filio imperatoris.

⌈Post hoc idem Lodewicus recessit cum impe-
ratore ad Longobardiam et fuit ibi quasi per an-
num. Interim magna fames fuit in Almania.
Et beata Elisabeth, mire devocionis mulier, construxit
hospitale pauperum in pede montis Wartpergk, in
quo locaverat XXVIII pauperes. Insuper CCC pau-
peres cottidie in aspectu eius per ministros elemo-
sinis reficiebantur. Et dum dispensatores eam
apud principem de nimia elemosinarum effu-
sione accusarent, Sinite, inquit, eam benefacere,
et quodcumque vult pro Deo dare dabit. Wart-
pergk tantum, Ysenache et Nuwinburgk mihi
reservate. ||

Iste Lodewicus erat pudicus — — qui ne- c. 419. Aist collat. mit Cron. Thuring. ampl. f. 40a c. d
morosa loca possident.
⌈Iste Lodewicus lantgravius fuit multum virtuosus, Cr. Th. f. 5
eloquio dulcis, moribus suavis et virilis, in exerci-
ciis militaribus strennuus et agilis, pauperibus
largus et benignus, ad uxorem suam dilectissi-
mam Elisabeth multum affabilis. Et quia videbat
uxorem suam diligere et se in misericordie
operibus exercere, carnem ieiuniis et aliis casti-
gacionibus domare, quamvis aliquando doleret, ti-
mens de eius teneritudine corporis, quod absque
periculo corporis non posset ferre tantas abstinen-
cias, tamen ei in omnibus pie cooperabatur. adeo
⌈Eodem anno ut supra cepit pius lantgravius Cr. Reinh. f. 181d